





1747, 13

25

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA,
DE

**PRAESTANDIS LEGATIS
IN
TESTAMENTO INVALIDO
RELICTIS,**

QVAM
SVB PRAESIDIO
DN. CONR. WILH. STRECKERI,

ICTI CELEBERRIMI,
EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECT. MOGVNT.
CONSIL. REGIMINIS, IVRIDIC. FACVLT. ASSESS. SENIORIS, COD.
PROFESS. PVBL. ORDIN. CIVIT. ERF. SYND. ET CONSVLIS
PRIMARIJ, NEC NON PRAEFATAE FACVLT.

IVRID. P. T. DECANI,
PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO,
D. XXV. SEPTEMBERIS ANN. MDCCXLVII.
ERVEDITORVM EXAMINI SVBIECIT

A.
IOANNES HEVNISCH,

SVEVO - TRAIECTANVS.
ACCEDIT ILL. DN. PRAESIDIS PROGRAMMA

DE
**FIDE ET DVBIIS IN INSTRV-
MENTA TAM PVBLICA QVAM PRI-
VATA, EORVMQVE NOTIS.**

I E N A E,
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1759.





I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA,

DE

PRAESTANDIS LEGATIS
IN TESTAMENTO INVALIDO
RELICTIS.

§. I.



estamentum, finiente MŌDEŪTINO
in l. i. ff. qui testam fac. poss. est volun-
tatis nostrae justa sententia, de eo,
quod quis post mortem suam fieri
vult. Per sententiam sine dubio certa deliberata-
que voluntatis declaratio sive pronuntiatio intelli-
gitur, quae, si secundum *Novell. 22. c. 2. pro lege*
& jure habenda, *justa* esse debet, ab eo scilicet fa-

A 2

Sta,

ta, qui & testamenti factionem habet, & secundum regulas juris civilis testatus est. l. 4. ff. qui testam. fac. poss. Add. PERRENON. Animadvers. l. 2. c. 21. De cætero permittitur testatori de omni eo, quod post mortem suam fieri vult, disponere, ita, ut non solum heredes instituere, sed & legata dare, aliaque ordinare queat. l. 120. ff. de Verb. Signif. vid. ab ETBEN in observat. Theorico-Pract. ad Institut. Justin. Disquis. IX. obs. 1. §. 4. Est vero legatum donatio quedam à defuncto relicta, ab herede præstanda. conf. §. 1. Inst. de legat. vel, uti in l. 116. pr. ff. de legat. 1. describitur, delibatio hereditatis, qua testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum velit. Et quamvis jure novo legata non tantummodo, ut olim, in testamentis vel codicillis ad testamenta pertinentibus, verum etiam in codicillis testamento non confirmatis, & ab intestato relinqui possint: ZOER. ad ff. tit. de legat. §. 3. 4. CARPZOV. P. 3. Const. 4. def. 31. illa tamen adhuc hodie testamentis plerumque accedunt, non quidem ut pars essentialis vel integralis, sed ut accidens. STRAVCH. ad Jus Justinian. D. X. §. 1. & sic verissimum manet quod à PAPINIANO in l. 3. ff. de pignor. præcipitur, legata in testamento relicta aliter valere non posse, quam si testamentum

ratum

ratum esse constat. Quemadmodum autem nulla regula est sine exceptione: ita nonnunquam sustinentur legata, utut testamentum inutile sit, id quod loco Speciminis Inauguralis paulo longius jam prosequi in animum induxi.

§. II. Ante omnia vero præmitti debet, testamenta variis ex causis subsistere non posse. Vel enim statim inde ab initio non valent, & dicuntur *injusta*, sive non jure facta, itemque *nulla*, sive nullius momenti. vid. l. 1. & l. 3. §. 3. ff. de *injust. rupt. irrit. fact. testam.* Vel ab initio quidem valent, sed postea infirmantur, dum aut *rumpuntur*, aut *irrita fiunt*, aut *destituuntur*, aut denique auctoritate jus dicentis *rescinduntur*, vid. l. 2. §. 1. ff. *testam. quemadm. aperiunt.* Nulla sive injusta testamenta sunt, 1.) si testator inhabilis est, & testamenti faciendi facultatem non habet. l. 4. & 19. ff. *qui testam. fac. poss.* 2.) In quibus solennia juris desunt, formaque à jure civili præscripta observata non est. d. l. 4. ff. *qui testam. fac. l. 1. ff. de injust. rupt. irrit.* 3.) In quibus heredis institutio vel plane omissa, l. 1. §. 3. ff. de *Vulg. & pupill. substit. l. 3. ff. de his, qua in testam. delent. l. 20. ff. de jure codicill. §. 34. J. de legat.* vel non rite facta, veluti, si liberi à patre *silentio præteriti*, hoc est, nec heredes instituti,

tūti, nec, ut oportet, exheredati sunt. *d. l. 1. ff. de in-
just. rupt. irrit. l. 30. ff. de liber. & posthum. pr. l. de
exhered. liber.* 4.) Si testator voluntatis suae de-
clarationem inchoavit quidem, at perficere vel
noluit, vel morte preventus non potuit, §. 7. *in f.*
*l. quib. mod. testam. infirm. l. 25. & 29. pr. ff. qui te-
stam. fac. poss. l. 11. §. 1. ff. de legat. 3.* vel si is quacun-
que ratione, quo minus libere testari potuerit,
impeditus est, STRYK. *Us. Mod. ff. Tit. si quis aliqu.*
test. prohib. §. 2. HUBER. *Prælect. ad ff. d. tit. §. 2.*
Rumpuntur porro testamenta jure facta quatuor
potissimum modis, 1) agnatione posthumi præ-
teriti, §. 1. *l. quib. mod. testam. inf.* 2.) per testa-
mentum posterius jure perfectum, §. 2. *& 7. l. eod.*
3.) per cancellationem, inductionem, deletionem,
incisionem tabb. testamenti, vel simile factum con-
sulto à testatore susceptum. *tot. tit. ff. de his, quæ in
testam. delent.* 4) per revocationem verbalem,
suis requisitis constantem. vid. *l. 27. C. de Testam.*
GEBAVERI *Diss. de Testamenti accedente, decennii
lapsu facta revocatione.* Irrita ulterius testamenta
sunt, si testator post conditum testamentum ca-
pitis deminutionem passus est, §. 4. *f. quib. mod.*
testam. inf. Destituuntur ex diverso, si heres scri-
ptus hereditatem non adiit, vel quia noluit esse he-
res,

res, vel quia non potuit. vid. §. 7. l. de heredit. qua
 ab intestat. Et tandem officio iudicis rescindun-
 tur, in quibus liberi, vel parentes, vel, certo in ca-
 su, fratres rite quidem, sed inique & contra pieta-
 tem à legitima exclusi sunt. *tot. tit. ff. & Cod. de In-
 off. testam. Nov. 115. c. 3. 4.* Igitur de singulis hisce
 testamentis seorsum nunc agendum, & quatenus
 legata in illis relicta præstanda sint, dispiciendum
 est.

§. III. Et primum quidem, quod testa-
 menta ob inhabilitatem testantis nulla attinet, le-
 gata in iis constituta regulariter non debentur; ni-
 hil enim, ut ait *ULPIANVS* in l. 1. §. 1. ff. de legat. 3.
 in testamento valet, quoties ipsum testamentum
 non valet; adeo, ut nec legata ad pias causas re-
 licta sustineri possint, cum verbum *unusquisque*,
 quod in l. 1. C. de SS. Eccles. habetur, ad personas
 ad testandum habiles restringi debeat. *IVL. CLAR.*
§. Testamentum qu. 5. n. 2. *BOEHMER. Jur. Eccles.*
Protest. L. 3. Tit. 26. §. 25. *SCHILTER. Exerc. ad ff.*
38. §. 16. Neque clausula Codicillaris heic ali-
 quid operari potest, cum potestas codicillos faci-
 endi illi demum competat, qui iure testamenti fa-
 ctionem habet. l. 6. §. 3. & l. 8. §. 2. ff. de jure codi-
 cill. Nihilominus tamen in certis casibus legata
 ab

ab inhabili in testamento relicta subsistunt. Sic quamvis filiusfamilias de peculio adventitio vel profectio, ne quidem consentiente patre, testamentum condere, *pr. J. quib. non est permiss. fac. testam. l. 6. pr. ff. qui testam. fac. poss.* nec proin legare queat, *l. 2. ff. de legat. 1.* Conf. HUBER. *in pral. ad ff. Tit. qui testam. fac. poss. §. 2. inf.* attamen si patre consentiente testatus piæ causæ quid legaverit, legatum debetur, licet nihil valeat ex cæteris, quæ testamento continentur. FABER. *in C. L. 1. Tit. II. def. 40.* quod in *c. 4. de sepultur. in 6to* expresse confirmatum, & filiisfam. concessum est, ut cum patris assensu *pro anima sua aliquid judicare*, id est, ad piæ causæ pro animæ bono legare possint, in qua significatione hæc loquendi formula etiam occurrit in *II. Feud. 9. §. donare. 1. & in II. Feud. 55. pr. conf. BITSCH. Comment in J. Feud. ad dd. textus pag. 268. & 688. SCHILTER. Exerc. ad ff. 38. §. 15.* Deinde si filiusfam. patre permittente testatus sit, & testamento clausulam, ut illud, quacunque ratione poterit, valere, vel, ut id, si minus testamenti aut codicillorum jure, saltem *jure donationis mortis causa* ratum esse debeat, adjecerit, legata ab eo relicta peti posse, plures existimant, eo quod *filiisfam. consentiente patre, de peculio profectio*

tio & adventitio ordinario, de extraordinario v̄ero etiam sine patris consensu mortis causa donare queat. *l. 25. §. 1. de mortis causa donat. l. 7. §. 4. ff. de donatione.* STRYCK. *de Cautelis Testament. c. 3. §. 37.* Sic etiam surdi & muti natura tales, quanquam alias ad testandum inhabiles, ad pias causas cum effectu legare possunt, docente STRYCK. *de Cautel. Testam. c. 4. §. 29.* Similiter de prodigis constat, quod testamenta facere non possint, & si fecerint, ea ipso jure non valeant, *l. 18. pr. ff. qui test. fac. poss.* quod si ramentum vel pauperibus, vel cognatis suis legata reliquerint, ea non inutilia esse censentur, per *Nov. Leon. 39.* quam ob humanitatem, & ultimarum voluntatem favorem, moribus receptam esse, testantur EV. OTTO *ad §. 2. J. quib. non est permiff. fac. testam.* HOPP. *add. §. §. alii.* conf. CARPZOV. *P. 3. const. 6. def. 11.* SCHILTER. *d. Exerc. 38. §. 36.* MEV. *ad J. Lubec. p. 2. tit. 1. art. 1. n. 10.* LUDWELL. *de ult. volunt. P. II. c. 1. p. 203.* Præterea omnes illi, qui non jure communi, sed statuto solum locali à testandi facultate arcentur, ad pias causas utiliter legare possunt, vid. MEV. *ad J. Lubec. P. 2. tit. 1. art. 13. n. 34. §. 36.* Denique huc referri potest casus, si heres testamentum ultro agnovit, vel transactionis causa le-

B

gata

gata à persona inhabili relicta legatario promisit,
l. 23. C. de fideicom. cum ex approbatione semel
 facta ea valeant, et si alias invalida. *MEV. Part. 7.*
decis. 9.

§. IV. Quod si testamentum ob defectum
 formæ extrinsecæ, sive ob neglectum solennitatis à
 jure requisitæ vitiosum sit, heres ad solutionem le-
 gatorum regulariter urgeri non potest. *l. 23. §. 29.*
C. de fideicom. RICHTER. *P. 1. decis. 50. n. 5.* siqui-
 dem ea demum testatoris voluntas, quæ legitima
 est, attenditur, *l. 23. inf. C. de legat.* nec interest, u-
 trum illa solennitas jure civili, an statuario præ-
 scripta sit. vid. STRVV. *Synt. J. Civil. Exerc. 32. §.*
15. §. 16. Excipiuntur tamen legata ad pias caus-
 sas. Licet enim jus civile hæc legata à consuetis
 solennibus non eximat, *l. 13. C. de SS. Eccles.*
 PANTSCHMANN. *P. 2. qu. 8. n. 11. 13. 14.* at tamen ju-
 re Canonico omnis solennitas quoad illa remissa
 est, & requiritur solum, ut de voluntate dispen-
 tis certo atque evidenter constet, *per c. 4. §. 11. X.*
de testam. quas constitutiones non in terris ecclesiæ
 solum, sed & Imperii observari, experientia com-
 probat. vid. CARPZOV. *P. 3. const. 4. def. 33. n. 3.*
seq. STRIK. Cautel. Testam. c. 12. §. 1. MEV. *ad Jus*
Lubec. P. 2. tit. 1. art. 2. num. 56. §. art. 13. num. 23.

Num

Num vero secundum allegatum *c. 11.* præcise & necessario testes, saltem duo, adhibendi sint, an vero sufficiat, si ex sola scriptura de voluntate legantis liquido constet? Interpretes inter se dissentiunt. Nonnulli enim ex nuda scriptura, si nulli penitus testes intervenerint, legata pia haud præstanda esse contendunt, vid. CARPZ. *c. def. 33. n. 8. seqq. & P. 2. dec. 150.* MEV. *ad J. Lubec. c. art. 2. n. 57. 58. & art. 13. in addit. ad n. 32.* ES. PVFENDORF. *in Obs. Jur. Univers. Observ. 172. &*, qui præ cæteris operose pro hac sententia disputat, HARPRECHT. *in Dissert. de admixt. person. extr. in disp. parent. int. liber. §. 18. seqq. in Disp. Academ. Vol. I. p. 1897. seq.* Verum enim vero quia in dicto *c. 11.* testes veritatis solum gratia desiderantur, non solennitatis ergo, sane eorum depositio frustra exigitur, quando de rei veritate jam aliunde, veluti ex scriptura, liquet; unde voluntatem ejus, qui in favorem piæ causæ disponit, etiam absque ullis testibus subsistere arbitramur. Comp. BOEHMER. *J. Eccles. Protest. L. 3. tit. 26. §. 20. sequ.* & in *Consultat. ac Decis. T. I. P. I. Resp. 187.* WERNHER. *P. I. Obs. 21. & ibi Suppl. itemque P. 3. Obs. 245.* BERGER. *Oecon. Jur. L. 2. tit. 4. §. 9. n. 3. & Part. I. Resp. 224.* RICHTER. *P. I. dec. 28. n. 15.* Ulterius

valent quoque legata in testamento injusto relicta, si clausula codicillaris testamento adjecta fuerit. vid. l. 29. C. de fideicomm. ubi: *si non ab intestato quoque succedentes rogati probentur.* l. 11. C. de testament. manumiss. ubi: *cum non fuisset adjectum, ut pro codicillis scriptum valeret.* Juvatur enim isthac clausula ultima voluntas, in qua praescripta testamenti forma quidem neglecta, ea vero, quae ad codicillos sufficiunt, observata fuerunt, ita, ut in vim Codicillorum sustineatur, ac perinde habeatur, ac si testator dixisset: Si testamentum meum, ut tale, non valebit, volo, quod venientes ab intestato observent meam voluntatem, legata ac fideicommissa praestent, & heredi scripto hereditatem, salva legitima & Trebellianica, restituant. CARPZOV. L. VI. Resp. 7. n. 4. 5. 6. Neque tamen credendum est, praedictam clausulam, etiam si testamento inserta non fuerit, tacite subintelligi, uti post CVIACIVM statuit KLOCKIVS T. II. Conf. 42. n. 261. 262. HUBERVS in Prael. ad Inst. de Jure Codicill. §. 5. circa f. TITIVS in Jur. Privat. L. 7. c. 3. §. 40. Nam contrarium, & quod memorata clausula testamentis tacite non insit, perspicue apparet ex l. 41. §. 3. ff. de Vulg. & pupill. substit. & l. 8. §. 1. C. de Codicill. **CONT. CHIPPLETIVS**
de

de Jure Fideicommiss. L. 3. C. 2. 3. GIPHANIVS in l. f. C. de Codicill. p. m. 133. seqq. STRYK. de Cautel. Testament. c. 23. §. 32. seqq. Porro, licet clausula codicillaris testamento injusto adjecta non sit, valent tamen legata in eo relicta, si testator adhibita jurisjurandi obtestatione, ab herede scripto, qui simul est heres legitimus, legavit per l. 77. §. 23. ff. de legat. 2. BARRT de Success. L. 10. c. 12. n. 2. BRVN-NEMANN. in d. l. 77. num. 18. Tandem ultima voluntas defuncti legibus non subnixi ab herede etiam tunc impleri debet, si eam sua sponte agnoverit l. 16. §. 1. C. de Testament. & vel ex conscientia relicti legati aut fideicommissi eidem satisfecerit, l. 2. C. de Fideicommiss. vel relicta legatariis transactionis causa promiserit, L. 23. C. eod. Ex eo tamen, quod heres unum vel alterum legatum solvit, vel solvere promisit, illico inferri non potest, quod etiam ad reliqua, quæ nondum agnovit, teneatur, prout contra dissentientes solide evicit SCHWEDER. in Dissert. de agnitione & approbat. ult. voluntat. def. §. 25. seqq.

§. V. Progredior ad testamentum, quod ob defectum formæ intrinsecæ sive essentialium vitio nullitatis laborat. Ubi quidem, si heredis institutio plane omissa, testamentum penitus inutile

est, adeo, ut nihil in eo scriptum valeat, l. 1. §. f. ff. de vulg. & pupill. substit. per §. 34. f. de legat. & l. 129. §. 1. ff. de Reg. Jur. & ne quidem legata ad pias causas ex illo debeantur, secundum opinionem LUDWELLI de ultim. volunt. P. 1. c. 4. p. 79. Verum enim vero quemadmodum alij DD. quoad hujus generis legata recte dissentiunt, & eorum intuitu heredis institutionem haud requiri, censent, vid. RICHTER. P. 1. decis. 28. n. 16. MEV. ad f. Lubec. P. 2. tit. 1. art. 13. n. 28. idemque quoad legata in testamento tempore pestis condito relicta non minus locum habere tradit CARPZOVIVS P. 3. c. 4. def. 12. n. 17. ita, si clausula Codicillaris testamento appositae sit, & hoc requisita codicilli habeat, etiam reliqua legata sine dubio sustinentur. STRTK. de Cautel. Test. c. 23. §. 38. Quod si autem pater filios suos in testamento praeterit, legata olim, nisi forte filius in patris voluntate ultro acquiescebat, praestari non debebant, per textum expressum in l. 17. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam. Annon vero hoc ipsum jure novo per Novell. 115. c. 3. in fin. correctum sit? non extra dubitationem positum est. Multi enim hoc negant, atque nec hodie legata ex tali testamento deberi putant, eo quod citata Novella non de testamento propter paternam praeteritio-

ritionem invalido, sed de tali, quod propter exhe-
 redationem, aut præteritionem vim exheredatio-
 nis habentem, veluti si mater filium, aut avus ma-
 terous nepotem præterierit, validum est, agat, &
 de hoc tantummodo disponat, ut, si per querelam
 evertatur, legata & fideicommissa, cæteraque ca-
 pitula nihilominus salva fiat, præstarique debe-
 ant, quam dispositionem ad alterum casum, quo
 testamentum ob præteritionem paternam nullum
 est, trahi non posse autumant. vid. PEREZ. in C. de
 liber. præterit. vel exhered. n. 11. HUBER. Præl. ad
 Inst. Tit. de liber. exhered. §. 2. COCCEL. l. Controv.
 Civil. L. 28. Tit. 2. qu. 5. & L. 5. tit. 2. qu. 5. Alii
 vero, quorum sententia usu fori quoque recepta
 est, etiam in casu præteritionis paternæ legata ho-
 die deberi existimant, cum ab Imp. IVS TINIANO
 in Nov. 115. c. 3. tam patris quam matris, atque
 tam præteritionis, quam exheredationis mentio
 injiciatur, & testamentum in dicta lege nova, circa
 fin. & inde desumpta Aut. ex causa. C. de liber. præ-
 ter. vel exhered. ex causa non minus præteritionis
 quam exheredationis expressis verbis solum quo-
 ad institutiones pro irrito declaretur. Comp. GAILL.
 L. 2. Obs. 113. n. 1. & Obs. 134. n. 1. BRUNNEM. in d.
 Aut. ex causa. n. 3. 4. CARPZOV. P. 3. const. 9. def.

3. STRIK.

3. STRTK. *Uf. Mod. ff. de Inoff. Testam. §. 7.* MEV. *ad J. Lubec. P. 2. tit. 1. art. 13. n. 14.* LTNCKER. *Vol. II. Resp. 128. n. 15.* Jure novo igitur indistincte si-
ve ob præteritionem paternam vel maternam, si-
ve ob exheredationem non rite factam testamen-
tum à liberis expugnetur, legata & fideicommissa
adimpleri, illisque, quibus fuerunt derelicta, dari
debent. *Nov. 115. c. 3. in f.* siue testator aut testatrix
sciverit, siue ignoraverit se liberos habere. *vid. l. 28. ff. de Inoff. testam.* GIPHAN. *in d. Aut. ex causa. p. m. 72. seq.* WERNHER. *P. 4. Obs. 132.* Id quod
etiam in casu inverso, si parentes à liberis fuerint
præteriti, indubie locum habet. *c. Nov. 115. c. 4. in f.* RICHTER. *P. I. decis. 51. n. 5. 6. 7.*

§. VII. Consequens est, ut de testamentis
ob defectum voluntatis nullis quædam adhuc sub-
jiciamus. Quod si itaque testator non omnia,
quæ ordinare intendit, disposuit, vel saltem non fi-
naliter, sed tantum animo ad condendum testa-
mentum se præparandi, aliquid ordinavit, ita, ut
ejus voluntas nondum pro absoluta & plenarie de-
clarata haberi queat; tunc nec heredis institutio
valet, *l. 25. ff. qui test. fac. poss.* nec legata aut fidei-
commissa peti possunt. *l. 29. pr. ff. eod.* quoniam
videtur magis cœpisse testamentum facere, quam
fecisse.

fecisse. *d. l. 25.* vid. HARP Recht. *de Testament. rat. voluntat. imperfect. ib. 33. seq. in Disp. Vol. I. pag. 1587. seq.* ubi plures hujus regulæ ampliaciones recenset. Interdum tamen evenire potest, ut & hoc in casu legata subsistant. Fingamus, furorem cœpto testamento, & vix uno vel altero herede nominato, testatorem invasisse, quæ est species *l. 9. C. de testament.* tale testamentum quidem pro nihilo est: sed si forte post testatoris mortem reperiaturschedula ad testamentum præparata, manuque ejus conscripta, ex qua manifestum est, quod piis causis res quasdam destinaverit, vel si ipse testator ægrotus talem schedulam Notario dedit, ut testamentum exinde faceret, & is interim furore correptus, & deinceps mortuus est, ejusmodi legatum, dum defuncti voluntas ex ejus scriptura satis apparet, debebitur. vid. BRUNNEMANN. *in l. 25. ff. qui test. fac. poss. n. 3. seqq.* ubi *n. 7.* ait, *talem voluntatem jure Gentium perfectam esse, licet jure civili perfecta non sit.* Add. STRICK. *de Cautel. Testam. c. 12. §. 3.* ubi *piam ejusmodi dispositionem in se perfectam esse* asserit, licet non ad sit perfectio circa ipsam dispositionem testamentariam. Referri huc etiam potest, quod in jure Lubecensi *P. 2. tit. 1. art. 4.* cautum, ut scilicet, si quis morbo afflictus condito

C

dito

dito testamento legata quaedam constituerit, & testamentum Senatoribus, more solito illud recipientibus, exhibuerit, mox autem, contradicentibus cognatis, negotium in proximum diem differre postulaverit, nullaque alia voluntatis immutatione facta decesserit, legatariis legata exigentibus juxta tenorem testamenti porrigi debeant, quam dispositionem pro singulari & à jure communi exorbitante non immerito habet MEVIUS ad *J. Lubec. c. 1.* Quod si vero testator ad testamentum faciendum vel dolo inductus, vel vi metuque, aut importunis sollicitationibus compulsus fuit, legata sponte relicta ex eo debentur. vid. CARPZOV. *P. 3. c. 5. def. 17.* MEV. ad *J. Lub. P. 2. tit. 1. art. 13. n. 17. 18.* LETSER. *Medit. ad ff. Specim. 375. med. 9.*

§. VII. Vidimus, qua ratione legata, in ultimis voluntatibus ab initio statim invalidis relicta, nonnunquam conserventur & valeant; proximum est, ut de testamentis, quæ ab initio quidem jure facta, deinceps autem infirmata sunt, legatisque in illis constitutis paucis etiam agamus. Quando igitur testamentum per agnationem posthumi vel posthumæ, cujus testator non meminit, ruptum est, regulariter nihil ex eo debetur, nec peti potest, idque

idque explorati juris esse dicitur in *l. 1. C. de posthum. hered. instit.* Verum heic iterum exurgit quaestio: annon huic legi per *Novellam 115. c. 3. in fin.* derogatum sit? Enimvero multis interpretibus arrisit sententia BARTOLI, qui distingvendum esse putavit, utrum posthumus scienter, an ignoranter prateritus sit: & priori quidem casu legata & fideicommissa deberi statuit, non &que posteriori, cum verosimile non sit, testatorem in praedictum posthumi, si talem nasciturum scivisset, legare voluisse. vid. CARPZOV. *L. 6. Resp. 10. n. 4. seq. & P. 3. const. 9. def. 4. & 5.* BRUNNEM. in *Autent. Ex causa. C. de liber. prater, vel exhered. n. 5.* PEREZ. in *C. de posthum. hered. instit. num. f.* BERGER, & *con. Jur. L. 2. tit. 4. §. 22, n. 1.* MEV. ad *J. Lubec. P. 2. tit. 1. art. 13. n. 15. & 16.* Alii ex diverso existimant, sine ullo casuum discrimine, sive prateritio posthumi à sciente, sive ab ignorante patre facta sit, testamentum totum rumpi, & sic etiam legata & fideicommissa corruere. ZOES ad *ff. de liber. & posthum. n. 57. 58.* COCCEL. *J. Controv. Civil. L. 28. tit. 3. & 4. qu. 7.* LETSER. *Medit. ad ff. Spec. 359. med. 7.* LAVTERBACH. *Compend. ff. de injust. rupt. irrit. p. 492.* At enim vero sicut supra §. 5. observavi-

vavimus, quod legata, si liberi jam nati fuerint præteriti, jure novo indiscriminatim sustineantur; ita etiam posthumi præteriti indistincte quoad institutionem solum jure novo rumpunt testamentum, salvis manentibus legatis & fideicommissis, aliisque testamenti capitulis. Conf. STRYK. *Us. Mod. ff. de Inoff. testam. §. 8.* BOEHMER. *Consult. & Decis. T. II. Resp. 679. n. 6. seq.*

§. VIII. Deinde testamenta rumpuntur per ultimam voluntatem posteriorem jure perfectam: quo casu etiam legata in priori testamento relicta, nisi in posteriori expresse repetita fuerint, regulariter percunt. *l. 3. §. 7. ff. si cui plus, quam per L. Falcid. l. 18. ff. de legat. 3.* Num vero idem obtineat, si priori testamento clausula codicillaris addita sit, in utramque partem disputatur. Non paucis quippe persuasum est, prius testamentum per posterius in totum cum omnibus suis clausulis, & hinc etiam cum clausula codicillari infirmari, nec sublato testamento, utpote principali, accessorium amplius consistere posse; *c. 42. de Regul. Jur. in 6to. vid. l. 11. ff. testament. quemadm. aperiant. l. 1. C. de Codicill. & ibi PEREZ. n. 5.* idque vel exinde
cvi

evidenter apparere, quod, licet testamento militis
 clausula codicillaris tacite inesse censeatur, per *l. 3.*
ff. de Testam. milit. & ibi BRUNNEMANN. n. 1. ta-
 men nec militis testamentum prius sustineatur, nisi
 is in posteriori specialiter, ut prius valere debeat,
 expresserit, *l. 19. pr. ff. eod.* atque hanc sententiam
 post BARTOLVUM, BALDVM, ALCIATVM, & a-
 lios copiose tuetur PANTSCHMANN. *L. 2. qu. 14.*
 eumque secutus STRYK. *de Cautel. Testam. c. 24. §.*
62. Verum, quia clausula codicillaris testamen-
 to eum in finem adjicitur, ut illud, si forte ex qua-
 cunque causa ut testamentum subsistere nequeat,
 jure codicillorum sustineatur, ac proin corruente
 testamento perinde est, ac si codicilli principaliter
 & sine testamento facti essent, illique propterea
 sine testamento propriis viribus valent, ex codicil-
 lis autem, qui testamentum præcedunt, fideicom-
 missa, & jure novo etiam legata peti possunt, si ap-
 paret, eum, qui postea testamentum fecit, à vo-
 luntate codicillis expressa non recessisse, *§. 1. I. de*
Codicill. & ibi EVER. OTTO n. 2. § 3. adhuc do-
 ctrina communis, quod testamento militis clau-
 sula codicillaris insit, ex allegata *l. 3. ff. de test. milit.*
 haud quaquam probatur, cum ibi solum dicatur,

C 3

cum,

um, qui voluit testari jure communi, non renū-
 cialle privilegio militari, adeoque imperfectum
 ejus, jure communi, testamentum jure militari va-
 lere, non vi clausulæ tacitæ, sed ex privilegio mili-
 tati, cui non renunciavit, quodque pingvius est
 clausulæ potestate, CHIFFLET, *de jure fideicom.*
e. 3. hinc verior videtur sententia eorum, qui lega-
 ta in priori testamento, quod ruptum est, relicta
 vigore clausulæ codicillaris eidem additæ ab here-
 de in posteriori testamento instituto præstanda es-
 se contendunt. vid. BERGER. *Oecon. Jur. L. 2. Tit.*
4. §. 22. n. 9. p. 306. HORN, *class. VII. Resp. 40. qu. 2.*
 Alius casus minori dubitationi obnoxius occurrit
 in §. 3. *l. quib. mod. test. infirm. & l. 29. ff. ad SCtum*
Trebell. si scil. testator in posteriori testamento, ut
 prius etiam valere debeat, expressit. Nam tunc
 quidem prius ruptum est, sed tamen vice codicil-
 lorum illud valet, ita ut universa, quæ illic scripta
 sunt, in causa fideicommissi sint, non solum legata
 & fideicommissa, sed & libertates & heredis insti-
 tutio, tradente ULPIAN, in *l. 12. §. 1. ff. de injust. rupt.*
irrit. fact. Sic si testator supremas testamenti ta-
 bulas eo animo incidisset, ut priores supremas re-
 linqueret, voluntas, quæ defecerat, judicio recenti
 rediisse

rediisse intelligitur, & hinc legata in priori testa-
 mento relicta, saltem jure Pratorio, sustinentur.
 vid. *l. pen. §. 2. ff. de honor. possess. secund. tabb. junct.*
l. 12. pr. ff. de injust. rupt. irrit. Rursus ex diverso
 interdum contingit, ut, quamvis posterius testa-
 mentum imperfectum sit, & prius rumpere ne-
 queat, legata tamen in eo relicta valida sint, veluti
 si posteriori ultimæ voluntati clausula codicillaris
 appositæ sit, eaque requisita ad Codicillum neces-
 saria habeat, quoniam tunc heredes in priori testa-
 mento perfecto scripti rogati esse censentur præsta-
 te ea, quæ in posteriori imperfecto constituta sunt.
 BARRT *de Success. L. X. c. 1. n. 31. De PRACTIS de*
Interpr. Ult. volunt. L. 2. interpr. 1. dub. 1. solut. XI.
n. 18. p. m. 179. Idem dicendum, si testamentum
 posterius ex falsa causa factum sit: nam & tunc
 istud heredem in priori testamento scriptum ad
 præstanda legata in posteriori relicta onerat, si
 causa illa non simul legata respiciat. Quo refer-
 ri potest species notatu dignissima in *l. f. ff. de be-*
red. instit. ubi testator, rumore perlato, quasi he-
 res nominatus mortuus esset, testamentum muta-
 vit, aliumque heredem instituit, eo autem defun-
 cto heres in priori testamento scriptus Imperato-
 rum

rum auxilium imploravit, qui cognitione suscepta pronunciarunt, hereditatem ad primum heredem pertinere, sed legata ex posteriori testamento cum prestare debere, perinde, atque si in posterioribus tabulis ipse heres scriptus fuisset. Similis pene casus habetur in *l. 28. ff. de Inoff. testam.* vid. BARRT *c. l. n. 13.* Add. IACOB. CONSTANTINAEI *Subtil. Enodat. L. 2. c. 13. circa fin.* CHIFFLET. *de Substitut. c. 11.*

§. IX. Rumpuntur quoque testamenta, si à testatore deleantur, inducantur vel inscribantur, & sic factò quodam non inconsulto suscepto aboleantur, quo casu omnia, quæ deleta, cancellata, incisa & industa sunt, ob contrariam testantis voluntatem corruunt. *l. 30. C. de Testament.* Quod si vero testator unius ex heredibus nomen induerit, illi quidem denegantur actiones, sed legata ab eo nominatim relicta debebuntur, si voluntas ea fuit testantis, ut tantum heredis institutio improbetur. *l. 2. ff. de his, quæ in testam. delent.* Quid? quod si omnia nomina heredum induerit, legata autem simul non deleverit, hæc ex benigniori interpretatione sustinentur. *l. 2. & l. 3. ff. eod.* Et cum

cum vel maxime nomen servi, quem liberum esse
 jufferat, induxerit, is nihilominus liber erit, favo-
 re libertatis, *c. l. 3. inf.* Ex quo colligit BRUNNE-
 MANN. *in d. l. 3. n. 6.* Legatum ad pias causas, ut
 ut deletum in testamento deprehendatur, propte-
 rea tamen revocatum non censi. E contrario
 si testamentum solis verbis à testatore, coram tri-
 bus ad minimum testibus revocatum sit, & lapsus
 decenni à tempore, quo illud conditum fuit, ac-
 cesserit, id tam ex contraria voluntate, quam ex
 cursu temporali penitus evanescit, *l. 27. C. de Testa-
 ment.* vid. PHILIP P. *Uf. Pr. Instit. L. 2. eclog. 68. n.*
7. seq. & hinc etiam legata perire existimamus: Sed
 ex eo solo, quod postea testator testamentum va-
 lere noluerit, hoc infirmari non posse, in confesso
 est. *§. 6. 7. quib. mod. testam. infirm.*

§. X. Transeo nunc ad testamenta, quæ
 ob capitis deminutionem testatoris irrita facta
 sunt. vid. *l. 6. §. 5. seq. ff. de injust. rupt. irrit. & ibi*
 BRUNNEM. *n. 3. seq.* qualem irritationem adhuc
 hodie certis in casibus contingere posse putamus.
 vid. STRYK. *Uf. Mod. ff. de injust. rupt. irrit. §. 11.*
 BETER. *Pofit. ad Instit. quib. mod. testam. infirm. n.*

D

27. lit.

27. lit. b. & tunc quidem legata in tali testamento relicta penitus concidere, ex l. 76. §. 9. ff. de legat. 2. non obscure intelligitur. Verum non per omnia inutilia sunt ejusmodi testamenta: Nam si septem testium signis signata sunt, potest scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere, si modo defunctus & civis Romanus & suæ potestatis mortis tempore fuerit. §. 5. *J. quib. mod. testam. infirm.* vid. l. 1. §. 8. ff. de bonor. possess. secund. tabb. & si minimam capitis diminutionem passus est, nova voluntatis declaratio accesserit, l. pen. §. 2. ff. eod. Unde ultro consequitur, quod eo in casu etiam legata, saltem jure Prætorio, convalescant. l. 12. pr. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam.

§. XI. Inter species testamenti irriti etiam refertur illud, ex quo nemo heres existit, sive noluerit heres esse, sive vivo testatore, aut post mortem ejus, ante quam hereditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit, §. 2. *J. quib. mod. testam. infirm.* quod alias speciali nomine destitutum vocatur, & nullas habere vires intelligitur, d. §. 2. l. 181. ff. de Regul. Jur.

*Jur. adeo, ut nec legata in eo relicta debeantur, §. 2. inf. J. de Leg. Falcid. l. 9. ff. de testament. tutel. l. 17. ff. si quis omiss. caus. testam. l. 2. C. eod. Et quamvis nonnulli existiment, jure novo hoc immutatum, atque in casu, si heres adire detrectat, ipsis legatariis licentiam adeundi concessam esse, ita ut omnibus modis quod præceptum est per testamentum impleatur. Nov. 1. c. 1. STRVV. Synt. J. Civil. Exerc. 32. th. 47. probabilior tamen est sententia eorum, qui dispositionem dictæ *Novellæ 1.* non de eo, qui hereditatem adire vel non potest, vel non vult, sed potius de eo, qui hereditatem adiit, & voluntatem testatoris implere recusat, accipiendam esse statuunt. vid. BACHOV. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 14. th. 1. lit. d. p. 850. STRK. Us. Mod. ff. de injust. rupt. irrit. §. 12. Dantur tamen aliqui casus, quibus, etsi hereditas ex testamento non adæatur, legata nihilominus debentur: quo pertinent 1.) quando heres scriptus, pretio accepto, hereditatem repudiat, ut illa ad heredem ab intestato, vel ad substitutum, à quo nulla legata relicta sunt, perveniat, l. 1. C. eod. STRVV. c. l. Exerc. 34. th. 46. 2.) Si heres scriptus, qui simul est sanguine proximus, hereditatem ex testamento callide eum in finem*

nem repudiat, ut eos, quibus quid ex testamento debebatur, circumveniat, & ab intestato hereditatem sibi asserat, *l. 1. pr. §. 1. 12. §. 1. ff. si quis omiss. caus. testam.* ubi tamen testamentum validum supponi debet, ex quo hereditas adiri, vel bonorum possessio peti potest; nam si ad irritum juris ratione revocatum est, petitio relictorum nullo jure procedit. *l. 2. C. eod.* 3.) Si testator relicta solvi voluit etiam per heredes ab intestato. vid. *l. 14. C. de fideicomm.* quem textum erudite atque accurate interpretatus est GIPHANIVS in *Cod. P. II. p. 156. sq.* Add. *l. 29. C. eod. l. 88. §. 9. de ff. legat. 2.* vel generaliter clausulam codicillarem testamento adjecit, cum virtute hujus clausulæ heredes quoque legitimi rogati esse intelligantur, ut in testamento & precedente dispositione scripta præsent. CARPZOV. *Part. 3. constitut. 2. defn. 21. n. 5. seq.* BERGER. *Oecon. Jur. L. 2. Tit. 4. §. 21. not.* 4.) Legata piis causis relicta, deserto licet testamento, & hereditate non adita, deberi, vulgo asseritur. vid. BOEHMER *Jus Eccles. Protest. L. 3. Tit. 26. §. 39. §. 43.* Plures adhuc casus commemorat BARRT *de Success. L. X. tit. 13.* ex quibus tamen nonnulli valde adhuc dubii sunt, e. g. quando *num. 14.* ex testamento

mento militis etiam destituito legata deberi affirmat, cui asserto non immerito contradicit STRIK.
de Cautel. Testam. c. 22. m. 1. §. 9.

§. XII. Tandem si testamentum ideo, quod liberi vel parentes contra pietatis officium inique exheredati, vel fratres, turpi persona herede instituta, prateriti sunt, auctoritate jus dicentis rescinditur, illud jure novo non in totum infirmatur, sed solum quoad heredis institutionem subvertitur, legata vero, aliaque testamenti capita firma manent. *Nov. 115. c. 3. §. 4.* Quamvis vero plerique Interpretes hanc juris novi dispositionem ad testamenta inofficiosa parentum & liberorum restringant, eo quod de his solum in *d. Nov.* mentio facta, de fratrum autem testamentis nihil ibidem cautum sit, ac propterea jus pristinum adhuc eorum intuitu locum habere debeat, secundum quod, rescisso per querelam testamento, legata & omnia reliqua testamenti capitula corruebant, v. *l. 8. §. 16. & l. 28. in f. ff. de Inoffic. testam.* STRIK.
Us. Modern. ff. d. Tit. §. 6. hęc doctrina tamen jam pridem aliis displicuit, ratis, non posse collaterales melioris conditionis esse, quam descendentes

& ascendentes, & correctoria quoque, quæ alias strictam habent interpretationem, ad ea nihilominus extendi, quæ eadem ratione necessario aut fortius inferuntur. vid. IVL. CLAR. §. *Testamentum. qu. 52. n. 5.* ubi communem sententiam terribilem & valde iniquam esse pronunciat FRANZK. ad ff. de Inoff. Testam. n. 84. STRVV. *Synt. Jur. Civil. Exerc. X. §. 22.* COCCEL. *Jus Controv. Civil. L. 5. tit. 2. qu. 11.* Verum quia copiosius in præsentia de hoc themate differere temporis angustia prohibet, filum abrumpo, & à L. B. ut ea, quæ speciminis loco in medium protuli, benignæ censuræ subjicere velit, etiam atque etiam peto.

T A N T V M.



Corol.

Corollaria.

I.

Filiusfamilias etiam de peculio
adventitio irregulari testari ne-
quit.

II.

Legata in Testamento inter
liberos extraneis relicta valent, li-
cet duo tantummodo testes adhi-
biti fuerint.

III.

Jus accrescendi etiam inter
verbis solum conjunctos locum
habet.

IV.

Rescissio per bonorum posses-
sio-

tionem contra tabb. petitam testa-
mento, legata uxori respectu dotis
relicta sustinentur.

V.

Quamvis legata ab intestato
præstanda sint; legatarius tamen
actionem ex testamento ad ea con-
sequenda instituere potest.

SOLI DEO GLORIA.



PROGRAMMA
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS
DN. CONR. WILHELMI STRECKERI,

TOT. TIT.

IN FRONTISPICIO IAMDV M MEMORATVM,
ET QVOD AGENS IBI INSCRIPSIMVS

DE

FIDE ET DVBIIS IN INSTRV-
MENTA TAM PVBLICA QVAM PRI-
VATA, EORVMQVE NOTIS.

OCCAS. LECT. CVRS.

AD L. CANCELLAVERAT. 2. FF. DE HIS, QVAE IN TESTAM. DELENT.

DIE XXV. SEPT. CIO IO CC XLVII.

IN CEL. ACAD. ERFVRT. PVBLICATVM,




OB ARGVMENTIRARITATEM ET PRAESTANTIAM

DENVO RECVSVM



I E N A E,
IN OFFICINA HELLERIANA.

CIO IO CC LVIII.





Q. D. B. V.



Variis modis Instrumentorum fides
infringitur ac reprobatur, id quod
contingit vel INTRINSECVS, &
quidem duplici modo, vel quoad
solennia, vel quoad causam ipsam:
Primum scilicet fit quoad solennia, si Formalia, de
quibus Gl. ordin. in L. generali. 3. C. de Tabular.
tam in publicis in specie sic dictis, quam in publi-
cis Notariorum, & privatis Instrumentis non rite
sunt observata.

E 2

Secun-

Secundo quoad causam ipsam infringitur instrumenti vis & efficacia, si scil. causa simulata est, h. e. aliud actum, quam scriptum sit: & huc pertinet totus titulus *C. plus valere quod agitur, quam quod simulate concipitur*. Aliud vero agitur, quam scribitur vel per Errorem, & hujus casus reperitur in *L. 4. ff. de Legatis 1.* vel si ab una saltem parte Instrumento fraus adhibeatur, quod in falsitatem scripturæ incidit, vel denique, quando partes inter se de simulatione conveniunt, & talis fraus instrumento facta vero & proprio nomine appellatur simulatio, quæ iterum tribus modis committitur: vel de Re ad Rem; de quo exemplum est in *L. 7. §. mutui. ff. ad SCium Maced.* vel de Contractu ad Contractum; talis casus est in *l. 3. C. d. s. plus val. quod agit, quam quod Sc.* vel denique de Persona ad Personam, quando quis scil. per se aliquid propter prohibitionem Legis facere nequit, id tamen fieri vult, & tunc curat scribi in Instrumento, quasi per alium factum fuisset. *l. 2. §. l. 4. C. plus valet, quod agit. Sc.*

Porro corrumpit instrumenti valor quoad causam ipsam, si scilicet falsa sit, quæ in illo continetur; Falsum vero est instrumentum, in quo præter

ter

ter intentionem ac voluntatem aliquid scriptum,
in quod is nunquam consensit, nec voluit.

Quandoque instrumentorum fides EXTRIN-
SECVS infringitur, quod fit contrarium osten-
dendo, si, uti verba sonant *l. 14. C. de fid. Instrum.*
scripturæ diversæ, fidem sibi invicem derogantes,
ab una eademque parte prolata; quia sic nihil
firmitatis habere poterunt: modo ambæ sint pu-
blicæ, ut recte limitat *Gl. ad eandem l.* Nam si al-
tera est privata, statur publicæ tanquam potiori.
Si vero à diversis partibus producantur Instru-
menta diversa, attenditur quodnam dignius sit, *l.*
pen. C. de contr. stip. ita tamen, ut in dubio pro reo
pronunciandum sit, per *l. 47. ff. de Legat. 2.*

Fides Instrumenti in dubium vocatur, si il-
lius charta successu temporis ita corrupta sit, ut le-
gi vix possit, nam quod non potest legi, non de-
bet intelligi. Apostilla quoque h. e. Scriptura,
quæ in fine Instrumenti adjicitur, & nobis Post-
scriptum audit, etiam instrumentum reddit suspe-
ctum. Hinc observandum, si completo jam in-
strumento quædam adhuc per modum Postscripti
sint superaddenda, necessarium esse, ut hoc Post-
Scriptum perinde ac ipsum Originale antescrip-
tum

culi

E 3

tum

tum à Partibus subscribatur, & subsignetur; alioquin autoritas ejus suspecta erit.

Ex chartarum etiam diversitate, ut si sint diversæ, quædam longiores, breviores, crassiores, latiores, strictiores &c. erui solet falsitas. Idem dicendum est de Attramenti & calami diversitate, quæ in parte suspecta apparet. Sic Dies & Annus diverso Attramento scripti inducunt præsumptionem falsitatis, quæ eo certior erit, si concurrat diversitas manus. Imo ex sigillis corruptis aut fractis vitium Instrumenti apparet. Porro suspectum habetur Instrumentum maculis conspersum; Maxime tamen Instrumenti fides suspecta redditur, si interlinearis vel marginalis scriptura, Rasura, Cancellatio vel Litura, in loco suspecto & substantiam negotii concernente, commissa sit, e. g. circa annum, diem, summam debitam & reliqua Instrumenti essentialia.

Quod si tamen aliquid in instrumento radendum vel cancellandum, vel interlineatio aliqua marginalis facienda fuerit, cautela est ad servandam scripturæ fidem necessaria, ut in subscriptione ejus mentio fiat, prouti Ordo noster non diu, videlicet d. 7. Jul. Ann. curr. judicavit, Notarius

rius enim vel etiam Actuarius, ut cesset omnis suspicio, attestari debent in fine Instrumenti, se fecisse abrasionem, cancellationem & interlineationem per suam scripturam. ORD. POLIT. NOTAR. de Ann. 1512. §. Die Notarien sollen auch. 18. STRYK. Diss. de Rasura C. 3. n. 1. FARINAC. qu. 153. p. 5. n. 102. Neque aliud dicendum est de Testamento subducto aut cancellato, nec refert, cancellatio illa sive ab ipso Testatore, sive ab alio ejus nomine facta, sive testamentum in totum, sive quoad partem illius substantialem, sine qua illud totum subsistere nequit, cancellatum fuerit, hinc tale testamentum infirmatur, ita ut hereditas ab intestato venientibus deferatur, arg. l. pen. C. de Testam.

Quodsi vero heredum nomina sive Institutiones duntaxat cancellatae aut subductae sint, controversum est, an Legata & reliqua Testamenti capitula, quae inducta non sunt, hoc in casu subsistant, & quibus tunc hereditas debeat? respiciendum est igitur ad testatoris, qui nomina heredum induxit, animum & voluntatem, an scilicet cum illud fecerit, scriptos heredes sua hereditate indignos reputaverit, & hoc casu hereditas scriptis tanquam indignis aufertur, & fisco vindicatur, l.

12. l.

12. l. 16. §. ult. ff. de bis, que ut indign. aufer. qui legata non inducta legatariis præstare tenetur, *dd. ll.* an vero eo animo & consilio heredum nomina induxerit, ut ab intestato decederet; de hoc si constet, hereditas sine dubio debetur heredibus ab intestato, *arg. l. ult. ff. de bis, que in testam. delent.* imo & legata non inducta ab iis debentur, *l. 3. ff. de bis, que in testam. del.* an denique de ejus animo & intentione plane non constet, num scilicet in odium scriptorum heredum, num in favorem legitimorum hoc fecerit; sed neque in hoc casu dubio hereditas legitimis heredibus est auferenda, ita tamen, ut legata non inducta ex æquitate sustineantur.

Quod si non omnium sed unius vel quorundam heredum nomina induxerit Testator, illorum tantum institutiones infirmari, innuit *l. cancellaverat 2. ff. de bis, que in testam. del.* reliqua vero testamenti capitula salva manent; *d. l. 2.* Cancellatorum vero portiones, si non tanquam indignis ademptæ, vel jure accrescendi cedunt cohæredibus, per *d. l. 2.* vel debentur substitutis, si illis aliqui dati. At quid si non constet, neque probari possit, à quo, an à testatore, an ab alio testamenti

cane

cancellatio facta? Hic primo omnium videndum, an testamentum cancellatum reperiatur penes ipsum testatorem defunctum, an penes alium & tertium. Illo in casu cancellatio aut litura ab ipso testatore facta censetur; solent enim testatores ultimas suas voluntates diligentissime custodire, unde quicquid circa illas factum, ab ipsis testatoribus factum praesumitur. MANTIC. *de conject. ultim. volunt. lib. 12. tit. 1. num. 30.* & quidem consulto atque ex voluntate, *arg. l. 3. in fin. ff. de his, quae in testam. delent.* unde qui contrarium dicit, probare tenetur, id quod deletum est, incaute & casu factum fuisse, RICHTER. *ad d. l. 12. C. de testament. n. 69. vid. l. fin. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testament.*

Exceptio est in calu, quando testamentum contineret legatum libertatis, quia singulari libertatis favore praesumitur inconsulto & propter incuriam fuisse inductam lituram. *l. proxime 3. ff. de his, quae in testament. delent.* id quod etiam locum habet, quando legatum esset factum ad pias causas, SICHARD. *d. l. LVDWELL. de ult. volunt. p. 172.*

Aliud vero obtinet si Testamentum penes alium & tertium reperiatur cancellatum, ubi in dubio non à testatore sed à tertio, penes quem reperi-

F

ritur;

ritur, cācellatio facta præsumitur, DD. *ad d. l. 12. C. de Testament.* Unde qui hujusmodi testamentum, vel in eo cancellata, voluntate testatoris revocata & infirmata esse contendit, illud probare tenetur, quo non probato testamenti vis ac efficacia sustinetur.

Circa hanc materiam fufius ad rubricatam *l. Cancellaverat. 2. ff. de His, que in testament. delent.* publice ex Cathedra discurret

NOBILIS AC CLARISSIMVS
DOMINVS

IOANNES HEVNISCHIVS,

qui, ut more recepto, ejus originem, ætatisque progressum delibemus, primam aspexit lucem, Anno à Christo Salvatoris nostro M D C C XX. die III. Julii Schweinfurti, Patre Viro maxime Reverendo, Dn. IOANNE FRIDERICO HEVNISCHIO, SS. Theologiæ Licentiato, & Pastore quondam in urbe patria primario, cujus desideratissimi Parentis amore tenerrimo adhuc in teneris, & quidem anno ætatis suæ quinto, Superis sic volentibus, privatus fuit; quare omnis honestæ educationis cura redundavit in Matrem ipsius adhuc sup-
peristi-

perstitem, SVSANNAM DOROTHEAM, Filiam Vi-
ri quondam Pranobilis Experientissimi atque
Amplissimi Domini HENRICI SCHMIDII, Medi-
cinæ Doctōris & Physici Schweinfurtensis prima-
rii, necnon Consulis & Sexviri spectatissimi.

Hic quoque pia memoriæ Avus cum Matre
dilectissima nihil magis in votis habuit, quam ut
primis elementis religionis Christianæ pertracta-
tis, literis elegantioribus bene imbueretur: hoc
sine feliciter adepto cum consensu Procerum &
Præceptorum suorum in Gymnasium, quod Sve-
vofordiæ floret, translocatus; in Theologicis ad
intimiorē Christianismi cognitionem conse-
quendam audivit Virum Summe Reverendum
Dn. Magistrum IOANNEM ENGLERTVM, Pastro-
rem in civitate patria p. t. primarium, & Gymnasii
Professorem Publ. In Mathematicis vero Virum
admodum Reverendum Dn. IOANNEM GEOR-
GIUM MERKIVM, Archidiaconum meritiſſimum,
& Professore Matheseos celeberrimum habuit
informatorem. In reliquis studiis elegantioribus
Dn. Magistri ANTONII ENGLERTI instructio fi-
delissima præ cæteris placuit.

Biennio transacto, & oratione valedictoria cum laude habita Halam Saxonix, consanguineis & Patronis svadentibus petiit, & in celeberrima hac Musarum sede, Domino Professore FRANKIO, fasces Regiminis Academici t. t. tenente, in numerum civium Academicorum receptus est, ibique Dn. Professore STIBRIZIVM in Logicis, Dn. Professore BAVMGARTEN in Moralibus, Dn. HEINECCIUM in Institutionibus Jur. civ. & denique Ill. Dn. BOEHMERVM in Jure naturæ sedulo frequentavit; cum vero per totum fere anni spatium valetudine minus prospera laboraverat, cursum universæ jurisprudentiæ ibidem continuare atque absolvere impeditus fuit; hinc Jenam sese convertit, studiorum suorum cursum ulterius prosequendi causa, & apud Dn. Doctorem MORTERVM collegia ad Pandectas, & ad Struvii Jurisprudentiam Romano-Germanicam apud Dn. BYDERVM Collegia ad Historiam universalem & particularem, itemque ad jus feudale haud interrupta serie frequentavit. Ill. Dn. ESTOREM in jure publico, Dn. Professore ENGAV in jure Canonico Germanico ac Criminali Duces, secutus est; Neque Gallicis Musis litare neglexit.

Hisc

Hicce sufficienter instructus sub auspiciis divinis patriam reversus est, ubi tamen ultra anni spatium commoratus non fuit, sed Theoria Jurisprudentiæ pro viribus pertractata, ad Nobilem, Clarissimum & Doctissimum Dominum e o r t t s c h a l c k, Ordinis Senatorii Camerarium Primarium, & Advocatum celeberrimum, cujus animum propensissimum jam diu ante intellexisse profiteretur, Erfordiam se contulit, ut ab hoc famigeratissimo caularum Patrono exoptatam manuductionem, Theoriam cum praxi forensi conjungendi, acciperet; nec spes ipsum fefellit; quamvis vero selectissima hæc, haud mediocres in praxi forensi progressus faciendi, occasio ipsi ex voto arrideret.

Accidit tamen, ut semestri spatio vix exantlato à matre sua, ipsi charissima, Erfordia avocaretur, ut Wezlariam sese conferret. Quare sub auspiciis supremi Numinis Wezlariam delatus, ab Excellentissimo Dn. Doctore BESSERERO, ac Licentiatò LANGIO, apud Cameram Procuratoribus ac Advocatis celeberrimis, plane singularis favoris specimina ipsi exhibita fuisse testatur.

Tandem Hieranam nostram repetiit, pe-
 titque ab Ordine nostro admitti ad Examen Can-
 didatorum rigorosum, honestæ ejus petitioni an-
 nuimus, textusque ex utroque jure resolvendos ei
 communicavimus, quos legaliter resolvit, & ad
 quaestiones in iplo examine propositas ita re-
 spondit, ut Supremis Jurium honoribus dignus
 judicatus fuerit. Proinde ipsi Cathedram ad eden-
 da reliqua Eruditionis suæ documenta aperuimus,
 ex qua, die traktina, præfatam legem *cancellave-
 rat. 2. ff. de his, que in test. delent.* explicabit, &
 hæc finita, *Disputationem Inauguralem DE*
PRAESTANDIS LEGATIS IN TE-
STAMENTO INVALIDO RELICTIS,
 habebit. Ad quos Actus solennes Magnificus &
 Reverendissimus Universitatis Rector, Domini
 Proceres, & Cives Academici, debita cum hu-
 manitate invitantur, rogantur. Publ. sub
 Sigillo Facult. Juridicæ d. 24. Sept.

MD CC XLVII

(L. S.)






Erfurt, Diss., 1745-47

X 2386990

ULB Halle
007 650 40X

3







1747, 13

25

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA,
DE
PRAESTANDIS LEGATIS
IN
TESTAMENTO INVALIDO
RELICTIS,

QVAM
SVB PRAESIDIO
DN. CONR. WILH. STRECKERI,

ICTI CELEBERRIMI,
EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECT. MOGVNT.
CONSIL. REGIMINIS, IVRIDIC. FACVLT. ASSESS. SENIORIS, COD.
PROFESS. PVBL. ORDIN. CIVIT. ERF. SYND. ET CONSVLIS
PRIMARIJ, NEC NON PRAEFATAE FACVLT.

IVRID. P. T. DECANI,
PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQVENDO,
D. XXV. SEPTEMBRIS ANN. MDCCLVII.
ERVEDITORVM EXAMINI SVBIECIT

A.
IOANNES HEVNISCH,

SVEVO - TRAJECTANVS.
ACCEDIT ILL. DN. PRAESIDIS PROGRAMMA

DE
FIDE ET DVBIIS IN INSTRV-
MENTA TAM PVBLICA QVAM PRI-
VATA, EORVMQVE NOTIS.

I E N A E,
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1759.